



Universitätsbibliothek Paderborn

Res Gestae Illvstrissimo-||rvm Martyrvm, Con-||fessorvm Atqve Sancta-||rvm Virginvm ...

Eorvm Praecipve, Qvae Per|| R. P. L. Surium sex Tomis compraehensae
sunt:|| et nunc restrictis verborum ambagibus ... ad ... D.|| Caesaris
Baronii Chronologiam|| digestae ac in quatuor Tomos distributae

Lippeloo, Zacharias

Coloniae, 1595

VD16 ZV 18288

S. Simplicij Episcopi & Confessoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-43699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-43699)

torum sordibus se contaminat; Iohannes vero sanctissimum corpus incredibili abstinentia macerat & omni contortione laborat, ut miserum regem ab animæ peste & interitu sempiterno liberet, & tamen saltatrici & adulteræ filiæ libidini per summum scelus permittitur.

Prudentia
Iustorum.

Sed hæc est vera illa iustorum prudentia ad quam Iohannes, teste angelo, incredulos traducturus erat: nimirum ut quid animæ nostræ dignitati, quid corporis vilitati debeamus agnoscentes utriusque curam pro dignitate geramus. Quisquis igitur ad Iohannis foelicitatem & gloriam aspirat, is hoc mortalitatis corpore neglecto & in servitutem spiritus redacto totum studium suum in anima suâ cunctis virtutum & gratiarum opibus excolenda ponat.

BREVIS VITA S. SIMPLICII EPISCOPI AUGUSTODUNENSIS ex Gregorio Turonensi Floruit temporibus Constantij Imper. Interfuit, vna cum S. Seruatio Con. illo Agrippinensi celebrato populi consulum Amantij & Albini anno Domini. 346.

24. Iunij.
Simplicius
continenter
viuit cum v-
xore virgine

Decedente Egemone beatus Simplicius non minus nobilibus quam diuitibus ortus natus, nobilissimæ coniugi sociatus Augusto dunensi præponitur Ecclesiæ. Accepto igitur pontificatus ordine, beata soror, quæ non libidine sed castitate viro sanctissimo coniuncta fuerat, primo quidē moleste ferebat, se à thoro pontificis submoueri, existimans virum sanctum alterius alicuius mulierculæ amoribus implicitum propriam despiciere coniugem. Cumque die quodam clanculum explorare vellet quid episcopus in cubiculo ager-

ret, inuenit eum post meridiem dormientem, & agnum immensæ claritatis in pectore eius quiescentem. Quo viso sanè perterrita velociter se à lectulo sancti remouit: nec adiecit vlra querere quid vir Deo plenus ageret in occultis quem diuina cælestiaq; assidua mente agitare cognoscebat.

Sed sæua dæmonis inuidia contra Dei sanctos mox probrosa excitat bella, verbisque subdolis infamare nititur: Quid plura? Die illo, quo Christiani festiuo gaudio Christi pro nobis in terris nati memoriam recolunt, ciues improbi dæmonis instinctu commoti ad beatam virginem rapido cursu contendunt aiuntque fieri non posse, vt vir & mulier eadem in domo vinculo matrimoniali sociati à corporis commixtione ablineant. Salomonis

enim sententiam esse: Neminem in sinu ignem sine combustione gellare posse. Itaque cum importunis clamoribus ciues instarent eamque miris modis calumniarentur, virgo sanctissima illorum improbitate commota pontificem simili castitate pollentem aggreditur, replicatisque coram omni populo sermonibus quos audierat vocat puellam,

(Arculam quæ tunc plenam, vt asiolet, pro iniuria hyemis, carbonibus retinebat) expansoque pallio prunas ardentes suscipit, & serè horæ vnius spatio tenens sacerdotem euocat dicens: Accipe mitiorem solito ignem, nequaquam tuis velaminibus nociturum, vt ostendant in nobis hæ flammæ extinctas esse flammæ luxuriæ. Suscipiente verò pontifice nihil nocimenti velamini ignis inulit: prorsus, vt tanto miraculo populus incredulus protinus fidei lumine illustraretur & intra septem dies plusquàm mille homines sacro latice tingentur.

Ex hoc populi scandalum animaduerti potest, Episcopis non licere vxorem habere.

Nota præteritum miraculum.

Dea Bere-
cynthia a-
nd Gall os.

Ferunt etiam in hac vrbe simulacrum fuisse Berecynthiæ. Hanc cum pro saluatione agrorum ac vinearum suarum misero gentilitatis more deferrent adfuit Simplicius antistes haud procul aspiciens cantantes atque psallentes ante simulacrum, gemitumque pro stultitia plebis emittens ait: Illumina quæso Domine oculos huius populi ut cognoscat simulachri huius vanitatem: & facto signo crucis contra Berecynthiam protinus in terram ruit, ac defixa solo animalia, quæ plaustrum, quo vehebatur, trahebant, moueri non poterant. Stupet vulgus & deam læsam omnis caterua conclamat: immolantur victimæ, animalia verberantur, sed moueri non possunt. Tunc quadringenti de stulta illa multitudine aiunt ad inuicem. Si virtus vlla est deitatis, erigatur spontè iubeatque boues qui tellure sunt stabiliti, procedere. Certè si moueri nequit, manifestum est, nihil esse diuinitatis in ea. Tunc accedentes vnum de pecoribus immolarunt: cumque viderent deam nullatenus moueri posse, relicto gentilitatis errore inquisitoque antistite Christo ex animo nomina dederunt.

BEATI IVANIS PRIMI IN BOHEMIA
Eremita, vita curriculum. Ex annalibus Bohemorum per D. Nicolaum Salium Pragensem.

24. Iunij.
S. Iuan regum profapia ortus.

Ivan Gestimuli Dalmatiæ Regis ex Elizabetha filius Latine Iohannes dictus, salutatis parentibus in eremum Deo se credens profugit: & formidolosis sylvarum flexibus duce Angelo pererratis, in Bohemiam adhuc idolis deuotam, Neclane rerum summam in ea administrante, deuenit: idque circa annum Domini 857. Cumque in specu quadam tribus circiter miliaribus à Praga disiecta mole-